



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Saxonia || Et || Metropolis || Alberti Crantzii || Historici
Doctiss. Sacrae || Theologiae & Iuris Canonici Doctoris ||
celeberrimi, ac Ecclesiae Ham-||burgensis quondam
Decani**

Krantz, Albert

Coloniae, 1574

Capvt XXIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11453

Quo tempore in inferiori Saxonja Hermannus dux ab Ottone I. ad Albim constitutus, diem suum obijt, annis & virtutibus plenus: qui nobilitatem primus in suam intulit familiam, relicto filio Bennone virtutum suarum imitatore, & ditionis promerita iusto successore: qui accepta vxore principis, vt ferunt, Steinenfis filia, bono patre non degener filius, dignus habebatur. Mirum verò cum per id tempus omnis illa & andalorum prouincia idolis seruièrit, Christianum principem ex gentilitate inisse connubium. Potuit hoc suggerere pietas, vt ad Christianismum flecteret affinem suum: Potuit etiam tum ad tempus Christi iugum illa ab Ottone perdomita, perferre, quod postea reiecerit. Verùm ex illa qualicunque coniuge sustulit filios Brunonem, Bernhardum, Thietmarum: Bruno in teneris decessit: Bernhardus ducatum post patrem administrauit, Thietmarus comitatum: Illum arbitror Transalbinum, quem vocant Stormaria: cui contermina est Holsatia cum Thietmarsis. Quæ tres ditiones sine controuersia ab omni retrò memoria semper Saxonibus paruèrunt: Nam cum & wedekindo duce concurrerat in ea ditione, vt diximus, Albion: & post illum Carolus Magnus præfecit quendam Ottonem: post quem non alium legimus præsidem, præter hunc Thietmarum comitem, Bernhardi ducis fratrem. Adaldagus quoque Hamburgensis pontifex ad hæc vsq; tempora peruenit, vir grandæuus, & qui per annos quinquaginta trium Ottonum Imperatorum curias sequeretur, cancellariam administraret, & multa, quæ extant, Imperatorum nominibus Decreta & Constitutiones conceperit. Florebant res plurimum Saxonja: nam Imperatores latè

dominantes, & frequentius in Italia diuersati, nullam
 eam impensis grauioribus onerabant. Sedit tamen ali-
 quandiu Otto III. priusquam in Italiam ascenderet,
 in Wildeshusen: ibique Præcepta fecit, Constituta edi-
 dit: vt intelligerent, qui in extremo essent Imperij li-
 mite, se quoque Imperatoribus suis curæ esse. Tribuit hoc
 memoria primorum in Christianismo principum Saxo-
 niæ memoria: qui, vt supra ostendimus, ibi vixerant &
 mortui sunt: Effecit quoque hoc grandæui senis domini
 Adaldagi archiepiscopi instantia, vt visendum aliquan-
 do subditis præberet Imperatorem, quò magis eos in fi-
 de & obedientia contineret.

CAPVT XXIII.

Quamprimum verò Imperator Otto Italiã per-
 transiens, Romam attigit, duces Capuanos Be-
 neuentanosque Romanis oblectantes, armis coëgit Impe-
 rata facere. Sed tum Iohannes, qui Ottonem voca-
 uerat, viuendi finem fecit: Nec vlla accidit, sicut fieri
 semper ferè assolet, cleri populiq; dissensio in deligendo
 Pontifice: quòd Otto Imperator Gregorium V. sibi ex
 Saxonum gente propinquum, iussit, obtinuitque Pontifi-
 cem declarari: à quo breuì post Imperij benedictionem
 diademaque accepit: Eiusque facti celebritate finita, Otto
 Imperator archangeli Michaelis ad eam quæ est in Gat-
 gano monte, votis se exoluturus, quæ pridem emiserat,
 inuisit: Indè Romam reuersus, breuì se contulit in Ger-
 maniam. Tulerant iniquo animo Romani, Pontificis per-
 metum factam creationem: nec id dissimulare poterat
 ferox, sed ad bella mollis, populus. Quarè vixdum Ita-
 lia excesserat Otto, per Gallias in Germaniam accessit-
 rus, cum Pontifex Gregorius minis & maledictis extor-
 ritus, ac magis (vt putant Italici) quam debuit animo